

## PSALMI CVI. DISPOSITIO.

*Historia in deserto. Secunda pars chronicorum.*

**E**st hic I. Excitatio ad Dei laudem: (1) *laudate Deum* (2) *celebrate Jehovam*, tanquam bonum & gratiosum in aeternum: vers. 1. tanquam ineffabiliter potentem: omni laude superiorem: vers. 2. (3) Dignitas personae laudantis subjicitur, quod talis homo observet iudicium, faciatque iustitiam indefinenter, proindeque ratione commodi sit *Beatus*: vers. 3.

II. Invocatio: (1) *recordare mei pro benignitate tua erga tuum populum*: (2) *visita me salute tua*: vers. 4. (3) *ostende mihi bonum electorum tuorum*: (4) *fac experiar gaudium gentis tuae*: (5) *ut glorier cum hereditate tua*: vers. 5.

III. Confessio delictorum: tam generaliter: *peccavimus cum patribus nostris, deliquimus, &c.* vers. 6. tum speciatim, ratione Majorum (1) *in Aegypto non attendentium mirabilia Dei: nec recordantium ample divinae gratiae*; (2) *obluctantium prope mare rubrum*: vers. 7. & nihilominus (3) *divinitus liberatorum*: vers. 8. 9. 10. *punitis insigniter hostibus*: vers. 10. 11. *subsecuta h. m. fide atque laude*: vers. 12. sed (4) *cito rursus oblitiscendum*, vers. 13. *appetitu insano Deum tentantium*:

vers. 14. *cum damno proprio satiatorum*: vers. 15. (5) *contra Mosen & Aharonem murmurantium*: vers. 16. ac ea propter graviter punitorum: vers. 17. 18. (6) *idololatriam vituli insanissime committentium*: vers. 19. 20. 21. 22. sed ab excidio per intercessionem Moysi creatorum: vers. 23. (7) *Terram promissam despicientium, incredulorum, obloquentium, immorigerorum*: vers. 24. 25. indeque sua culpa in deserto obeuntium: vers. 26. & ratione seminis mirè inter gentes dispersorum: vers. 27. (8) *Baalpehoris cultu se contaminantium*: vers. 28. *paenam sentientium*: vers. 29. sed per Pinehasium reconciliatorum: vers. 30. 31. (9) *ad aquas Meriba rebellantium*: v. 32. 33. (10) *Cananeos non excindentium*: vers. 34. quin imò imitantium, terramque turpissime sic contaminantium: v. 35. ad v. 39. atque hac de causa à Deo irato gentibus traditorum v. 40. 41. 42. (11) *sine fructu denuo liberatorum*: v. 43. sed gratiose nihilominus in captivitate à Deo vi foederis auditorum: v. 44. 45. 46.

IV. Conclusio referens tum Suspirium: (1) *salva nos*, (2) *collige nos è gentibus in honorem tui nominis*: v. 47. tum laudem: *benedictus Dominus &c.* v. 48.

## PSALMUS CVI.

## EXPLICATIO VERSUS I.

**הללוהו** *laudate Dominum*: ) traditur hic publica quaedam tam laudis, quam fraudis, (uti secundum Augustinum loqui amant nonnulli,) confessio, ita ut recenseantur tum larga Dei in immerentem populum beneficia, tum crebra ingrati hujusdem maleficia; ut proinde non absone Psalmus hic *secunda pars chronici Israël.* appellari queat, ceu praecedens Psalmus, pars prima. Ex collatione tum totius materiae, tum praecipue vers. 47. cum 1. Par. XVI, 35. videtur, psalmum hunc à Davide compositum fuisse post collocatam in sede arcam, restauratumque cultum publicum. Ab eadem hac voce incipiunt novem adhuc alii, videlicet Psalm. CXI. CXII. CXIII. CXXXV. CXLVI. CXLVII. CXLVIII. CXLIX & CL: ad promovendam, ut videtur, mox sub cantionis initium animi alacritatem, pellendumque maerorem, foecordiam, desperationem, &c.

**הוֹדוּ** *celebrate*: ) palam videlicet & in conventibus solennitatibusve publicis. cuiusmodi compellationem vidimus Pl. xxxiii, 2. C, 4. CV, 1. De LXX. ἐξομολογείσθαι, quod & consistere & laudare significat; vide quae notat ex Basilio, Hieronymo & Josepho Drusius cent. 1. misc. cap. 55.

**כִּי טוֹב** *quia bonus*: ) tum in se & essentialiter, tum effectivè vel originaliter, à quo est omne bonum, imò nil nisi bonum. Hinc nemo bonus, nisi solus Deus, Matth. xix, 17. cuius boni-

tas ingens & copiosa extollitur etiam Psalm. CXLV, 7. Job. xxv, 3. Confer similem Dei laudem Psalm. xxv, 8. xxxiv, 9. liv, 8. lxiii, 4. lxix, 7. lxxxvi, 5. c, 5. item inferius Psal. cvii, 1. cxviii, 1. 29. cxxxvi, 1. cxix, 68. (טוֹב אַתָּה וְיִשְׁרָאֵל) cxxxv, 3. CXLV, 9. CXLVII, 1.

**לְעוֹלָם** *in seculum*: ) vide Psalm. C, 5.

## EXPLICATIO VERSUS II.

**מִי** *quis eloquetur?* ) i. e. nemo. interrogatio affirmans æquipollet neganti categorica, ut Psalm. xix, 13. peccata quis intelliget? Psal. xxxv, 10. quis sicut tu? Prov. xx, 8. quis dicet: mundum cor meum? vide illic dicta. Continetur verò simul ratio, cur celebrandus jugiter sit Dominus, quia videlicet inenarrabilia sunt ejus beneficia, adeò ut licet quibusvis horis in hoc occupemur sancto labore, nunquam tamen absoluturi simus illud pensum, vel exhausturi tantum pelagus. Vel est hac exceptio ad antecedens mandatum: *laudate, confitemini*; quasi diceret pia mens: *at verò quis poterit laudare satis? cui respondetur vers. 3. esto, te per omnia non satisfacere, modò sincerè observes, quod æquum est, beatitudine sic gaudebis exoptatà.*

**יִשְׁרָאֵל** *loquetur*: ) nimirum plenè ac pro dignitate, ita ut inter infinitum sermonis objectum (quod est *Potentia divina*) & inter sermonem, apta sit congruentia, ut nil omittatur, nil incomte proferatur, &c. Alias מְלֵךְ non nisi semel